



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Psalmis Gradualibus. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

tio recitandi Officium Defunctorum, puta, ex voluntate testatorum; in ijs quidem diebus, quibus conceditur Missa de Requiem (qua de re in primo Tomo diximus pag. 11. & 12.) absque dubio recitari poterit.

20 In alijs verò diebus, in quibus prohibetur Missa de Requiem, adhuc tamen recitari poterit (exciperem Festa primæ & secundæ classis, & triduum maioris Hebdomadæ postremum) etiam in Choro: quia dispar est ratio inter Missam & Officium Defunctorum. illa namque suppleri potest cum Missa de die, eo modo quo docuimus in primo Tomo pag. 223. à n. 19. & seqq. non autem Officium cum Officio de die: vel præter cantatam Missam de die in Collegiatis, potest cantari altera de Requiem, vt Romæ fit quotidie in Ecclesia S. Petri. Festum autem, etiam de præcepto, ex minùs solemnibus, non impedit recitationem huius Officij, vt patet ex dictis supra num. 10. 15. & 17. maximè si adsit Ecclesiarum consuetudo.

21 Pius itaque V. tam in Bulla quàm in Rubricis loquitur de Officio Defunctorum ex communi intentione Ecclesiæ pro Suffragijs generalibus recitando in Choro, remittens antiquam obligationem illud sæpiùs recitandi, & quotidie, vt olim, in Quadragesima; tum præscribit eos dies, quibus illud idem congruentius recitari vel omitti debet: non autem excludit obligationes proprias ex testamentis Defunctorum rationabiles.

22 Si tamen accidat in his obligationibus aliqua necessitas ex causa rationabili reducendi, aut commutandi, aut eas moderandi, ad tempus, seu in perpetuum, declarauit sacra Tridentini Concilij Congregatio Sess. 25. cap. 4.

posse Episcopos in Synodo, & Regularium Superiores in Capitulis Generalibus circa hæc Officia decernere quidquid magis expedire iudicauerint, ea commutando in Missas, &c. si ante Concilium ea fuerint imposita, quod postremò à nobis additum eadem sacra Congregatio significare visa est in Decretis de celebratione Missarum sub Urbano VIII. 21. Iunij 1625. §. Ac primo. vbi, dum prohibet reductionem Missarum post Concilium, non ante illud, indicat apertè, eam fuisse mentem sacri Concilij, de qua dubitabant Doctores. Falsus Moneta noster de Commut. ult. vol. quæst. 11. conclus. 4. num. 367. & seq. de his Officiorum commutationibus agit. hoc loco hæc satis.

#### De Psalmis Gradualibus.

#### CAP. III.

**F**ACIAMUS gradum, ordine Breuiarij, ad Psalmos Graduales, qui dicuntur Canticum graduum & ascensionis, ex vi vocis Hebrææ *Amahaloth*. Et Græci quidem, Theodoretus & Euthymius, docent, Cantica hæc intelligenda esse ad iteram de ascensione Iudæorù à Babylone in Ierusalem, Spiritu sancto per eo David præcinente calamitatem eorum, & libertatem. Alij, è quibus Durand. lib. 5. cap. 2. malunt esse compositos hosce Psalmos, vt canerentur in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis: tot enim fuisse affirmat S. Augustinus Tract. in Psalm. vltimum, cui Lyranus subscribit; & significant ascensiones Electorum in Deum per quindecim gradus. Septenarius enim veteris Testamenti est, octonarius noui Testamenti est numerus, ex Am.



Ambros. *Enarr. 2. ad Horontianum*: quasi dicantur Electi per scalam præceptorum Veteris & noui Testamenti ascendere ad Deum. & de his fortasse gradibus dicebat Salomon *Eccles. 11. Da pariem septem* (Græcè est casus Dativi) *necnon & octo.*

2 Hieron. *in locum Ecclesiaste*, putat septem & octo Psalmos Graduales veteris & noui Testamenti indices esse: vt enim quondam per illorum numerum canebatur Deo, ita per vtrumque Testamentum modò cantantur laudes eidem Deo. Quinque etiam sunt sensus hominis, per quos animus ad Deum trinum ascendit; & ideo diuisi sunt inter quinos.

3 Radulphus *Propos. 21.* meminit, & notat, primos quinque dici pro Defunctis; alios quinque pro nobis ipsis, & amicis; postremos quinque pro omnibus fidelibus: & quadrat ordo hic ascendentibus, iuxta *Psal. 83. Adscensionem in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, id est, Purgatorij. Nam à Purgatorio Defunctorum eleuamur ad purganda propria peccata, de quibus in secunda Oratione agitur: deinde ad vnionem cum Deo, quem toto corde perquirimus in tertia Oratione; ita vt in secundo ordine Psalmorum declinantes à malo, in tertio faciamus bonum; in quibus tota iustitia consistit.

4 Robertus Card. Bellarminus *in suo aureo libello de Ascensionibus in Deum*, ad instar horum 15. Psalmorum constituit quindecim gradus, quibus ascendas ad Deum; quorum ordo paululum mutatus triplici Gradualium ordini, meo iudicio, respondet optimè: si nimirum in primis quinque Psalmis mediteris corruptibilia, terram, aquas, aërem, ignem, & mixta; in alijs quin-

que scruteris cœlestia corpora, hominem, animam eius rationalem, Angelicam naturam, & Diuinam essentiam: in tertio Psalmorum ordine contempleris Dei potentiam, theoreticam sapientiam, practicam eiusdem misericordiam & iustitiam, quæ singula omnia prosequitur ille in dicto libello.

5 Si tibi placeant magis sanctissimi Rosarij mysteria, ea distribue hoc modo: vt, quæ sunt doloris, primo ordini cum *Requiem* pro Defunctis tribuas; quæ gaudij, secundo ordini; quæ gloriæ, tertio adscribas.

6 Nam primi quinque Psalmi vnicam habent conclusionem: *Requiem aeternam*, &c. alij habent quisque suam cum *Gloria Patri*; quia pro Defunctis orantes abstinere solemus à glorificatione Trinitatis, vnicam & aeternam eis requiem desiderando, vt eisdem, post quinque sensuum in Purgatorio purificationem, in quibus deliquerunt, eadem aeterna requies tribuatur. Deo autem danda est gloria in ascensu nostro, siue declinemus à malo, siue faciamus bonum; de quibus in 2. & 3. agitur Psalmorum ordine Gradualium. Vltima Oratio habetur in Liturgia Græca S. Petri pro Collecta Missæ.

7 Dicuntur autem in Ferijs quartis Quadragesimæ, latius sumpto vocabulo Quadragesimæ, ita vt includatur Feria 4. Cinerum, in qua etiam dicuntur hi Psalmi; Pio V. ita limitante, ante quem quotidie in Quadragesima recitabantur. Ante Matutinum dicuntur de more antiquo, ex Radulph. *Propos. 21.* in Brev. M. S. & in 1550. & ante Officiam paruum B. Virginis, quod fit vnum cum Officio maiori, ex P. Ruiz *in Cerimoniali*; vt nimirum



per octo quosque dies ab initio ieiunij, ascensiones in corde nostro disponamus de virtute in virtutem, donec ad Christum in Cruce exaltatum perueniamus, quem in Hebdomada maiori contemplamur.

8 Omittitur in ipsamet maiori Hebdomada; cum ibi militet eadem ratio, qua omittitur Officium paruū B. Virginis & Defunctorum; & omittuntur in Festo nouem Lectionum, ratione Festi, vt ait Radulph. *loco cit.*

9 Nulla nunc est obligatio, ex Bulla Pij V. qui proponit recitantibus Indulgentiam quinquaginta dierum; si nempe recitent in Ferijs quartis Quadragesimæ, siue in Choro, siue extra Chorum eos recitent, & absoluit Clerum ab antiqua obligatione. Si adest consuetudo eos recitandi in Choro, stetur legitimæ consuetudini; sicut etiam de Hora recitandi, de qua *cap. sequenti num. 6.*

#### De Psalmis Pœnitentialibus.

##### C A P. I V.

**P**salmi Pœnitentiales, qui scilicet ad pœnitentiam nos mouent, sunt numero septem: & videntur fuisse in vsu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur; neque tamen auctor idem ipse perhibetur. Ordo Romanus eorum meminit in *Feria 4. Quadragesima in capite ieiunij.* Cassiodorus docet, septem esse, quia totidem modis remittuntur peccata nostra, Baptismo, passione martyrij, eleëmofyna, dimittendo alijs, conuertendo alios, abundantia charitatis, & pœnitentia. Hæc ille.

2. Innocentius III. iussit eos recitari in Quadragesima, ex Radulph.

*Propos. 21.* quia tempus est opportunum ad pœnitentiam.

3 Feriæ sexta assignati fuerunt in Quadragesima à Pio V. cum & hi quotidie recitarentur in eadem: vnde ordine Feriarum seruato, sexta Feriæ sequente quartam, Pœnitentiales locum habent in Breuiario post Graduales. Minor est etiam Pœnitentialium numerus quàm Gradualium.

4 Absolutè incipiebantur, ex Radulph. *loco citat.* sed in Breuiar. M.S. & 1550. præmittitur Antiphona, *Ne reminiscaris.* &c. sumpta de Tobie libro. Quilibet Psalmus concluditur cum Trinitatis glorificatione solita, à qua speratur diuina gratia per pœnitentiam; gratia verò dicitur gloria Dei, *Rom. 3.*

5 Recitantur post Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino, & Deo gratias,* vt habetur etiam in M.S. & 1550. & ante Primam; quia iustus in principio (diei) accusator est sui: sed Radulphi tempore dicebantur post Primam, in qua Confessio fit peccatorum.

6 Quòd si consuetudo detur aliqua antiqua & inueterata recitandi in Choro Psalmos Pœnitentiales in Ferijs v. post Completorium in Quadragesima, & in Ferijs tertijs Psalmos Graduales; sacra Rituum Congregatio declarauit, eam retineri posse, vt in vna Laudensi respondit 2. *Augusti 1603.*

7 Congruittamen multò magis FERIA sexta, in qua peccauit Adam, & mortuus est Christus eadem die.

8 Non in Festo nouem Lectionum. Quid enim peccatoris tristitia cum festiuitate Beatorum? nec in Parasceue, FERIA sexta maioris Hebdomadæ, vt dictum est de Officio Defunctorum.